

## **Terms and Conditions**

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

### Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

### Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

Numeratio  
ab ærano-  
stra bifaria

Hanc igitur æram numerant istæ tabulæ bifariam, primùm ordine retrogrado, à Christo versus initia rerum & ultra, quousq; cuiq; lubuerit; deinde ordine directo à Christo ad nos usque, & porrò. Suntq; Bifextiles, post Christum quidè, omnes pariter pares; ante Christum verò impares, primus, & ab eo quartus quisque sursum.

Cur unum  
solum genus  
Numeratio-  
nis motuum  
in his Tabu-  
lis.

Æras multiplicare cum diversitate numerationum, uti fecerunt Alphonsini & Prutenicarum author, non supervacuum tantùm, sed damnosum etiam censui; adeòq; ne decorum quidem, singulates æras exhibere in opere universali; paucis gratificari nationibus, omnibus ea re satisfacere non posse: quasdam eximere legibus reducèdi sua tempora ad annos Christi Julianos, cæteras in hac necessitate relinquere.

De variis  
initis anno-  
rum Christi.

Cum autem in Æram quidem Incarnationis Verbi consenserint pleriq; Christianorù, in principio tamen anni observando magna extiterit varietas; omnis ea, quantum lectione consequi potui, ob oculos ponenda fuit; ut tanto signantiori cum notatione Calculatoribus hanc insfigerem observationem, ipsas Calendàs Januarii in Tabulis istis haberi pro prima die Anni; utq; discerent sibi cavere ab aliorum numerationibus, qui aliud anni caput observant; qua ratione fit, ut interdum unitate à nobis differat, in annorù numeratione.

Eorum ini-  
tium in his  
Tabulis.

Commen-  
tarius au-  
thoris de Æ-  
ris.  
A 37 in 40

De harum Ærarum intervallis, deq; mensium appellationibus, ordine, quantitate, scripsi commentarium peculiarem; in quo omnia quæ in his foliis continentur, historiarù monumentis rationibusq; idoneis demostro, & contra cæterorum Chronologorum, ipsiusq; adeò Scaligeri, auctoritates, sicubi diversi à me abeunt, munio; quæ alià occasione, si vita superfuerit, lectoribus communicabo. Nā materia potissimùm Chronologica metas hujus operis Astronomici excessura visa est.

Anni æra in  
his Tabulis  
observata,  
quo sensu di-  
cantur JULIANI.

Illud diligenter inculcandum est Calculatori, cum in his Tabulis Anni Juliani nominantur, cognomen hoc nō esse accipiendū de Æra Julij Cæsaris, deq; annorù numero ab illa deducto, sed de forma solum anni & dispositione seu distributione dierum in menses. Interim, anni etiam Juliani dicti, sunt anni Christi, post Christum quidem 45 annis diminutiores, ante Christum, totidè auctiores, quàm si à tempore, quo forma hæc anni à Julio Cæsare fuit instituta, deducti essent.

PRÆCE-  
PTUM. 62.

Nunc viam tradam utendi hac Synopsi. Si offertur annus numerationis ante nostram Incarn. æram incipientis, (annorum quidem non continuè repedantium, de iis enim agam seorsim) ut scias, quotus is sit annus Inc. quibus utendum est in Tabulis istis: si quidem annus propositus non superaverit intervallū numerationis proprium, in synopsi annotatum; aufer completos ab intervallo, ut est positum; residuus erit annus Julianus, in quo currente incepit propositus currens æra cujusq;: dies autem & mensis Julianus, à quibus ille cepit, additus invenitur intervallo in Synopsi.

At si superaverit propositus annorum numerus intervallum suum (eorum quæ Christum antecedunt) aufer vicissim intervallum ut est positum, ab ipso dato numero anni currentis, residuus erit annus Inc. Julianus post Christum currens, à cujus die & mense, quem Synopsi annotat, incepit propositus currens.

EXEMPLA, R. Abraham Chaiā dicit æram

Contractuum incidisse in principium anni Judaici 3450. Ut scias, quotus hic sit Inc. respice ad Æram Judaicam ejusq; Intervallum 3761. Quia proponitur numerus minor, aufer ejus completos 3449, restat 312 currens ante Incarn. Ejus igitur anni Nonis Oct; quæ sunt annotatæ ad 3761, perhibetur incepisse æra contractum.

Vicissim scribit Arzachel, Arabum æram incepisse anno Alexandri 933. Quotus is eris Christi? Respice ad æram Alexandri, ejus intervallum invenitur 312. Cum igitur numerus propositus sit major, aufer 312 à currente 933, restat 621 currens post Christum, hujus igitur anni Octobri, quem vides appositum esse ad 312, cepit annus Alexandri 933, & proinde desit sequenti 622. Christi.

Sic SIGISMUNDUS BARO HERBERSTENIUS Commentariis rerum Moscoviticarù, refert ex Annalibus, Demetrium, Ioannis Basilij nepotem, Ducem Moscovia creatum, anno Mundi 7006, Mense Februario. Æra est Græcorum, & numerus superat intervallum: aufer igitur hoc, restat annus Christi 1497 currens, ut ipse etiam Baro monet.

De notatione temporis per Olympiadas, cautio est peculiaris, ut completarum numerum quadruplices, addasque currentis annum expressum, quam summam Scaliger appellat annos Iphiti.

Ut, Phlegon Trallianus, referente Eusebio, quarto anno Olympiadis CCII annotavit Eclipsin Solis maximā horā diei VI. Eusebius de ea Eclipsi intellegit, quæ contigit Servatore in cruce pendente, festo Paschatis. Queritur quoto id fuerit anno Inc. Ergo completas Ol. 201 quadruplica, & adde quartum expressum, fit 808 Iphiti currens. Aufer 776, intervallum in Synopsi, restat 32 Inc. Annus ergo quæ dicit Phlegon, vel à solstitio hujus 32 cepit, vel quod verisimilius, à bruma antecedente, complexus Pascha anni Inc. 32. At quia Passio Christi certo incidit in anteced. 31. Inc. intellegimus vitium obvenisse Phlegonistæ textui, & numeralem y in d. mutatam.

Si verò numeratio oblata inceperit post Christum, Anniq; non continuè retrocedant (de iis enim seorsim itidem agendum,) adde ad eos currens, intervallum ex Synopsi non currens sed completum: ita prodibit annus Inc. in quo incipit annus oblatus, à mense quidem & die ad intervallum adscripta in Synopsi.

Ut; Theon commentariis in Ptolemaeum refert Eclipsin, quæ contigit anno Diocletiano 81. Queritur, quoto id fuerit anno Tab. istarù. Synopsi exhibet intervallum Diocletianorum 284. Ergo completos 283, adde ad currentem 81, prodit 364. Inc. currens; hujus igitur anni die 29 Augusti (qui additur in Synopsi) cepit 81mus Diocletiani.

Sic, Leopoli Russiæ scriptæ sunt literæ de Calend. Armenor. ad Barth. Scultetium Gorlicensem Consulem Anno Armenorù 1044. Ut scias quotus Incarn. respice ad æram Armenorum, hæc habet intervallum 552. Ergo adde Completum 551 ex synopsi, procreatur Incarnationis 1595, cujus mense Augusto cepit ille 1044. Armenorum.

VENIO nunc ad applicationem dier. & mensium; & initium facio à Romanis. Quod enim Intercalatione diei attinet, quatuor nactus est formas Annus Julianus, quartum duæ primæ videntur in synopsi. Primi enim 37, qui decurrerunt inde ab

Sed pro Idibus corrige Nonis, & Humen Calendaras potissimum intellege tribui, sive Octobris, sive Septembres, ut infra. Applicatio Olymp.

Eclipsis patiente Christo.

Tab. f. 40. De Typo primorum annorum Jul. visosorum.